

*Matthias Illyricus.* Quin imo Lutherum ipsum, etiam ante quam repurgaret Sacra, minime omnium Pontificium, sed potius Evangelicum fuisse, sub præsidio Dn. D. Fechtii peculiari dissertatione de Luthero Lutherano ante Lutheranismum ostendit B. Möllerus. Unde *Stapletonus T. II. OO. Or. Acad. 20. p. 616.* ex illius senis monachi, cujus modo fecimus mentionem, verbis, Lutherum *statim monstra illa, & portenta opinionum de libertate Christiana, de sola fide justificante, de speciali certitudine gratie, de imputativa justitia, aliaque concepisse & peperisse:* Gretserus autem in *Exercit. Theol. adv. hæret. p. 109.* in comment. in Orat. Hunnian pectus Lutheri *jam tum variarum sectarum seminarium* fuisse scribit. Et vero quam multi numero fuerint, qui eadem de religionis summa statuerint, quæ Lutherus, tum maxime est proditum, quando is impudentissimo veniarum Papisticarum institori Jo. Tezelio se opposuit, bellumque indixit Papatui. Tunc enim partibus illius tanta se adjunxerunt copia, ut emendata per eundem religio paucorum annorum spatio, quod incredibile dictu, universam prope Europam occuparet. Quod quidem minime fuerat futurum, nisi jam antea in medio extitissent Papatu, qui alieniore essent a Pontifice, illiusque imperio, animo, & anxii expectarent occasionem, excutiendi jugum illius, & proscribendi errores, quibus divinior coetus fuerat fascinatus. Hi ergo, quoad non fuit integrum separatas a Pontifice rationes inire, & singularem visibilemque coetum formare, Ecclesia fuerunt *invisibilis*, nec hominibus facile observanda, & quia in præcipuis saltem capitibus, & summa religionis cum Luthero fecerunt, eademque cum eodem senserunt, *Lutherani* omnino fuerunt quoad rem, etsi hoc nomine nunquam sint compellati. Nemini proinde dubium esse debet, quin Ecclesia Evangelica inde ab Apostolorum

tem-